

puritatis, & castitatis cingulum accipietis; dummodo Chanaan sitis, id est, servi, humiles, mores ac vitam commutantes. Quid pro Ignatio nostro opportunius? Dum Marianam effigiem humiliter, ac demissè colit, dum se Mariæ servum profiteatur, ac totum se Deo committit, præ illò illa adest cum parvulo Jesu, ut fortis Mulier, ut Mulier cætu religiosi novi, ut Mulier exercitus strenuorum Jesuitarum; quibus vel extunc in suo Institutore, quod sacro in Sodalitio potius esse voluit, id illa prius agit & commendat, studium scilicet puritatis, Ignatio venundans & tradens candentem sindonem, & cingulum castimonie, ut sic vestitus, & præinctus ad opus sit novi Ordinis instituendi expeditus.

Apoc. 3. 5.

1906 In Ignatium commodè illa cadunt Dei verba Apoc. 3. 5. Qui vicerit, sic (Græcè hic) vestietur vestimentis albis. De iis sermo est, qui strenuè coercere degeneres carnis motus, & licentiam passionum compescerunt; quibus promittitur album vestimentum. Quod dictum reor cum intuitu aliquo ad

Ignatius, uti exauctorator, sive emeritus milites, qui bellico congressu liberi, militaria deponabant vestimenta purpurea seu coccinea, & candida assumebant, ut Plutarchus scribit in vita Pompeii, & in Problem. Romanis, Problemate, Quare stolas fæminæ candidas in luctu ferebant, & mortuorum cadavera pallio cooperta candentes? Respondet; Quia ut emeriti & exauctorati milites censebantur: id est, quasi illi, quibus à militia vacatio concedebatur. Unde sic Apocalypseos testimoniū elucidat: Qui vicerit, hic vestietur vestimentis albis: id est, illum, ob insignes triumphos à seipso reportatos, exauctorabo, & ut exauctoratus miles, ac præmaturè emeritus, quietus à belli tumultibus sub Jesu vexillo perstabit vestimentis perfectæ castitatis albis indutus, sanguineis depositis. Concedit hoc Deus clientibus suis strenuè militantibus adversus carnis petulantiam. Unde illud Bernardi: Roga dari tibi devotionis lumen, diem serenissimum, & sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles in laboribus universis vivas absque labore, dilataio nimirum corde, curras viam mandatorum Dei, &c. Concessum hoc singulare privilegium est Protoparenti nostro à Deipara Virgine, quem ex sæculi castris nuper abreptum, & ad divinum traductum, vestimento perfectissimæ castimonie candido induit, tanquam emeritum, sive exauctoratum militem, ut serenissimo die, sabbato mentis, & tranquillâ corporis pace fruatur, vel ab ipsomet tyrocinii sui exordio. O præproperum! ô eximium ab eximia Matre Virgine beneficium! Quod mirum, si ad Ignatium, ejusque Familiam tanta tamque multiplex advolaverit sapientia cælo nata? Unum audi Rupertum in Prologo ad Evang. Joannis: Omnes carnalium sordes affluum à cordis oculis abstergende sunt iis, qui in Christi schola venerabilibus student litteris, ut hanc aliquatenus acquilam (Joannem nempe) prosequi valeant, quam cordis juveni munditia, ut claritatem solis æterni plus ceteris divine visionis animalibus, irreverberata posset mentis acie contemplari. Pergo.

Plutarchus.

S. Bernard.

Sapientia castitatis amator.

Rupertus.

Pergit Ignatius ad Vir-

ex patria discessit: ubi, nobilibus vestimentis uni pauperum datus, sacco indutus aspectu ac vili, sine cinctus, nudis pedibus ac vertice, gladium & pugionem ante Deiparæ aram suspendit, cui se totum, ejusque Filio devovit, ubertim lacrymas effundens. Quis te, ô Ignati! ad sacrum Mariæ Montem pervexit? Quis totum penitus te reduxit, cilicino habitu induit, & in lacrymas resolvit? Certè unius Deiparæ id opus fuit: cujus ea vox est Ignatium piè urgentis Cant. 4. 17. Revertere, similis esto, dilecte mi, caprea, hinnuloque cervorum super montes Beber; aut Bethel. Pro revertere, Hebraicè est sob, quod circumire, & gyrare significat. Bethel latinè sonat Domus Dei. Sed retinenda est Romana Lectio Beber, quæ montes designat, ut Rabbini innominatus observat, beidos, huilcos, diffusos, serratos. Unde LXX. vertunt super montes cavitationum; prærupti enim montes his constant cavitationibus, hinc inde distantibus rupibus, ut non possint ab hominibus nisi lento gradu, & per anfractus subiri. S. Thomas legit; super montes vigiliarum. Juxta interpretationem nominum Hebraicorum ad finem sacræ Bibliæ positam, efferas: Super montes divisionis, turturis, explorationis, contemplationis. Quis non subinde, quasi intento Spiritus sancti digito, demonstratum agnoscit Montem Serratam, Dei Domum, sacrum Virginis Templum, & quæ ibi gessit Ignatius nosster? Evocatus ille à Deipara: Revertere, cuius, gyra: utique (ut Arnoldus Carnot. Tract. de opere sex dierum explicat) circui panitens; paret illicò bonus Dei miles, & caprea assimilatus, hinnuloque cervorum, ardua quæque superat cursu, & prærupta saltu, & ad Montem Serratam rectâ, festinatòque pervenit; ad montem Turturis, Virginis nempe solivagæ, gemebundæ, quæ tyronem suum solivagum ac gemebundum reddidit: ad montem vigiliarum, explorationis, contemplationis, ubi ille totam noctem, ante Deiparæ aram, modò stans, modò in genua provolutus in armis excubavit, se metipsum exploravit, ac divina contemplatus est. Evocatus à magna Dei Matre Ignatius, Matrem ille magnam invocato planctu, & habitu penitentis animi cilicino, ut sic ejus preces nimio opere negotiosæ essent, quia ambitiosæ admodum. Quod Tertullianus dixit in re simili lib. de Pudicitia cap. 5. Pariter de penitentia officio sedent, in sacco, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, tandem Matrem invocant.

1908 Post hæc, Loyolæ Manresam versus discessit, oppidum à Monte Serrato tribus distium leucis; à quo non longè positum atrium erat, dumis inculum, scopulisque asperrimum. Asperrimam ibi vitam instituit per menses ferè decem; inibi Deus suam illi scholam aperuit, alumno suo familiarissimus per notiones divinarum rerum penitiores. Nec minus ei Deipara familiaris, quæ suâ illum præsentia sæpè consolabatur, ac multâ è cælis voluptate, & magisterio, tanquam totius bonæ sapientie Magistra, imbuebat atque informabat. Hinc illa Ignatii, litterarum tunc prorsus expertis, cælestis sapientia, qua libellum exercitiorum spiritualium composuit, opus sanè humano majus & Virginis Mariæ sapientissimæ invenum, ut ipsamet Fæminæ cuidam probatæ sanctitatis per Angelum revelavit;

ginem Montis Serrati evocatus ab illa.

Cant. 4. 17.

Del Rio:

Tertullian.

Discessit in Manresa atrium, ubi Deipara magisterio illustravit.

Exercitiorum spiritualium & Constitutionum libelli, opus Dei-

revelavit; referturque in vita P. Baltazaris Alvarez c. 43. & a Nigronio nostro Tract. de exercit. cap. 4. Eandem Deiparam, sicut Familiæ nostræ procreatricem & parentem, ita etiam Constitutionum nostrarum, Regularumque inventricem, & auctorem extitisse, multo grandioris notæ Viri, & Scriptores jure autumant. Nam ut ipsemet Ignatius Sociis satis innuit, Instituti nostri impressas, & quasi consignatas in animo suo notiones, & intelligentias in illo Manresæ secessu à Virgine acceperat, ei non rarò postmodum apparete, dum Constitutiones, Regularumque conderet ad religiosos mores sanctissimè perpolendos. Non fallar, si dixerim, conspicuam hisce libellis, uti quibusdam pretiosis monilibus, Mariam dilaudari à Salomone Cant. 1. 11. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Ex Hebræo vir Hebraicæ linguæ peritus Cervantes in cap. 6. Sap. Theoriâ 12. & in c. 8. Theoriâ 49. transfert: Libellos aureos faciemus tibi cum notis, punctis, seu impressionibus argenteis. Consonat Chaldaica Paraphrasis, qui de Tabulis legis accipit splendidi instar auri optimi, ordinatis per lineas, digito Dei scriptis, & datus per manum Moysi populo Israelitico. Verè spiritualium Exercitiorum, & Constitutionum libelli ex auro, ex argento toti; charitate nempe & sapientiâ pleni, quæ per aurum & argentum symbolicè designatur ex sacræ Scripturæ usu. Verè Dei digito exarati, quia æternæ mentis inventum: cum enim Pontifex Maximus Paulus III. accuratè perpenderet Sodalitii nostri Institutum; Dignus, inquit, Dei est hic. Dati hi libelli sunt Virgini Matri à Triade sanctissima pro divite & eleganti ornamento: nam quidquid in illis continetur, perfectissimè ipsa in se vitâ & moribus resculperat: ut enim Eusebius Emisenus in ser. de Assump. Virg. Beatissima Virgo utriusque vitæ, activæ & contemplativæ, plus ceteris omnibus privilegia custodivit. Dumque ipsa Ignatio frequenter adflat, ei suggerens quidquid scribit, sive ad spiritalia exercitia, sive ad Religiosas Constitutiones pertinens; dedisse planè dicenda est eosdem illos aureos argenteosque libellos, dono sibi datos à Deo ipso. O Marianum! ô pretiosum nimis, atque elegans Societatis nostræ ornamentum!

Cant. 1. 11.

Chaldæ.

Euse. Emis.

Ignatii, & Sociorum multa in Virginem argumenta pietatis.

Deipara perfectissimum votivum exemplar.

Deus, cui infinita militat opulencia, cum esse pauperem voluisset, Mariam Pauperem elegit Matrem, ut in Concilio Ephesino apud Theophylactum in cap. 2. Mat. dicitur. Adeo Paupertatem coluit pauperima Virgo, ut mystica Magorum munera apud se diu manere non sustinuerit, ea pauperibus distribuens, quomodo S. Bonaventura in libello de vita Christi observat, rationem reddens: Zelans Virgo pro paupertate, & intelligens Filii Bonav. voluntatem. Zelans quidem, quia Paupertatem pro filia amantissima habebat, ut S. Damascenus scribit Orat. 2. de Assumptione. Lege S. Bonaventuram in Speculo lect. 4. & in Plalterio, ubi Marianæ Paupertatis magnitudinem expendit. Rursus, usque adeo fuit virginæ Castitatis cultrix, ut votum servandæ Virginitatis coævum sanctitati ejus originali, à magnis Theologis existimetur: à Suario nostro tom. 2. in 3. p. disput. 6. Sect. 1. cui subscribunt ex nostris Barradas tom. 1. Concor. Evang. lib. 6. c. 3. Spinellus in lib. de Laud. Virg. c. 32. n. 26. & nonnulli alii: Vide supra n. 724. 725. 726. Hinc Virginitatis Primpila appellatur ab Idiota c. 6. de Virginitate feracissima Planta: per te enim Virginitatis pulchritudo latissimè sese diffundit. Denique Mariæ Obedientia decantatissima est apud Patres & Expofitores sacros ad illa ejus verba: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Lege superius dicta de Mariana obedientia opposita Adami inobedientie n. 780. & sequentibus. Ecce tibi quo ingenio Ignatius nosster præ oculis filiorum suorum Virginem Matrem habendam statuerit, cum Religiosis votis singuli se obstringunt: nempe ut sic illis præluceat animatum ad æmulationem tantæ Patronæ & Fundatricis exemplum, & absolutissima Paupertatis, Castitatis, & Obedientie Idea.

Conc. Eph.

Fi. S. Bonav.

Idiota.

S. Damasc.

Luca.

Virgo sub veste sua Societatem fovit.

1910 Celebris extat visio habitâ à P. Martino Gutierrez ab Hæreticis in odium fidei intercepto, quam refert P. Plati lib. 1. de bono statu Religiosi c. 34. Nempe vidit aliquando Angelorum Reginam eximia nitentem pulchritudine, multo nitore lucis rutilantem, chlamyde indutam pretiosissimâ, fulgentissimâque, sub qua universum Sodalitium nostrum obumbrabat, fovebat, protegebat; ut ostenderet, illius se esse Patronam, cui adscribendi admirabilis novæ Religionis ortus, secundique progressus omni humanâ industria majores.

S. XII.

Currus Ezechielis magnificus ad Jeshuicant Ignatii Familiam revocatur, Marianæ exaltationi militantem, & Mariæ auxilio detriumphantem.

1911 Breviter currus imaginem, sive ideâ propono. Ille quidem, post ventum turbinis anteambulone, in nubis medio igneis flammis involutæ spectandum se dedit undequaque fulgentissimus. Quatuor constabat rotis volubilibus; unaquæque alteram intra se similem concludebat, quæ illam infernæ superneque interfecabat, ut ita singulæ rotæ plagas mundi omnes respicerent in crucis formam dispositæ, uti observat Theodoretus. Ducebant has rotas, quasi ab ipsis traherentur, quatuor item animalia, sive Cherubini: unumquod

Currus ideâ



quodque quadriforme; nam facie erecta Homo stabat, à dextra Leonina erat forma, à læva Bovina, à tergo eminebat Aquila. Itaque versus omnem partem habebat facies, brachia, & alas, ut quovis & aspicere, & agere, & volare posset, imò & igneas scintillas spargere, ut quod prorsus inflammatum. His altius aliquantò rotis & animalibus, quasi ipsius currus pavementum, cælum spectabatur, seu firmamentum crystallinum totum, diaphanum, in immensam magnitudinem expansum, immensoque lumine collustratum. Supra quod Princeps in suo throno sapphirino, sella nimirum augusta dispiciebatur, totus ex electro, ignitus, & luminosus, pulchraque iride circumdatus.

1912 De magnifici hujuscæ currus mysterio ô quàm multa multi! Equidem sic univèrsim exultimo; crystallinum firmamentum illud ad Deiparam Mariam spectare, uti etiam illam Principis personam throno insidentem ad Christum Dominum Magnæ Mariæ Filium: Animalia & rotas viros Societatis nostræ portendere arcanissimè, per quos Deipara cum Filio gloriosè admodum exaltatur, & quoquo versus glorificatur. Atque in primis, eximiam Matris Virginis gloriam eo curru symbolicè præsignatam, testis est locupletissimus S. Gregorius Thaumaturgus ser. 2. de Annunt. S. M. Virg. ubi Gabrielem loquentem sic inducit: Tu Sancta omni humana natura splendidiore, puriore, sanctiorque progenita est: ac nivre quidem candidiorem habens mentem; quovis autem auro splendenti purificatum magis corpus. Ventrem verò, qualem Ezechiel vidit, & qualem recensuit, talia dicens: Similitudo

S. Gregor. Thaumaturgus.

Ezechiel. 1. animalium super caput, quasi firmamentum, & quasi aspectus crystalli formidabilis. Et similitudo throni, quasi aspectus lapidis sapphiri: & super thronum similitudo hominis, & quasi aspectus electri, & intrinsecus ejus, velut aspectus ignis per circuitum. Perpicue igitur Propheta, natum ex sanctissima Virgine, in figura & umbra cernebat, quem tu sancta Virgo portare non posses, nisi omni claritate atque virtute pro tempore illo resulgeres. Quid ad rem nostram luculentius? Non minùs illustrem, atque cælesti lumine splendidam Mariam describit, quàm Ezechiel divinum illum currum depingit; huic longè nobiliorem Virginis splendorem confert, imò præfert Neocæsariensis Gregorius; jure merito existimans, firmamento illo crystallino ac fulgentissimo, thronoque sapphirino Deiparam præfiguratam, quomodo etiam ea Principis figurâ Christum ejus Filium, quem utero gestavit

& ulnis. Fortè id ipsum voluit S. Epiph. ser. de laud. Virg. cum de illa sic loquebatur: Dico illam esse cælum, thronum, & crucem, extendens enim sanctas ulnas, Dominum portavit. Thronus Cherubicus, Cruciformis, & cælestis.

1913 Et quidem, quid apud Ecclesiæ Patres, quid apud Marianos Panegyristas frequentius, quàm Cæli, sive Firmamenti nomenclatura Virgini adaptata? Albertus Magnus super Missus est, sic c. 162. In secundo die possum est Firmamentum, & dividit aquas ab aquis. Hæc est B. Virgo, que habet stellas duodecim, id est, omnium Sanctorum, in capite suo. Posita in medio aquarum, id est, Sanctorum via, & Sanctorum Patriæ, existens supra communem statum via, & juxta statum patriæ, comunicans utrisque. Et S. Joan. Geometra in Hymnis Græcæ Ecclesiæ, Hymno 2. Mariam sic salutat: Salve

Geomet.

cælum homines lustrans, solemque reducens. Et paulò post: Salve mille oculis Pole prædite, sidera circum solem clarè regens. Et non multò post ibidem: Salve ornate globis Pole, septenisque decore Zonis. Ac denique: Salve versicolor cælum iridis instar, amans Virtutum formas, floriferasque ferens. Et S. Epiph. ubi supra: O uterum, qui cælum es septem circulis constans, & capaciore illis existis! O uterum, qui es octiduum cælum septem firmamenti celsiorem! O uterum habentem inextinguibile lumen septies lucenis gratia! Similia apud Guericum Abbatem reperias, Gersonem Tract. 2. Canticordi. S. Bonav. to. 3. in ser. 1. de V. Maria. S. Bern. in ser. de eadem. S. Anast. Sinaitam l. 2. in Hexaem. & S. Damasc. Orat. 1. de Virg. Nativ. Hodie, inquit, ex terrena natura cælum in terra condidit ille, qui olim firmamentum ex aquis finxerat, atque in altum extulerat. Ac sanè hoc illo longè divinius est, nam qui in illo solem effecerat, in hoc justitiæ Sol ortus est.

S. Epiph.

S. Damasc.

1914 Ex his Patrum effatis satis liquidò constat, Deiparam ad instar esse cæli, & cælorum omnium, sive firmamenti stellis regenti, sole, luna, ac reliquis luminaribus, quibus Mariæ virtutes omnes, dona gratiæ ac privilegia supernaturalia bellissimè designantur. Cælum utique est Virgo sanctissima, Dei sedes, longè illà, quam in Empyreo habet, amplior & augustior, atque infinita quodam modo capacitas, quandoquidem Deum ipsum cum infinita sua immensitate, intra uterum suum circumdedit, quin angustias sentiret, quas in cælis habet, qui infinitis eget mundis: Quia quod deerat Calum Vir-

Calum Virg. corporalis spatii, mentis compensabat ampliato, ait Guericus Abbas. Cælum illa est, in quo omnia & singula gratiæ lumina, & ipsummet supernæ lucis fontem, Christum nempe, justitiæ Solem, Deus collocavit, ut per ipsam totus Orbis tenebris antea obvolutus illuminaretur. Ave gratiæ plena, fons lucis, qui cunctos in ipsum credentes illuminat. Ajebat ad Virginem S. Gregor. Thaum. ser. in Annunt. B. Virg. qui subdit: Ave gratiæ plena intelligibilis solis oriens. Et Chrysippus in ser. de laud. Virg. Ave fons lucis, omnem hominem illuminantis. Ave solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Hac etiam de causa appellatur à Geometra; Cælum homines lustrans, solemque reducens. Et quemadmodum cælum cum suis luminaribus communi & perenni beneficentiâ omnibus patet, omnia fovet, & ornat quadam munificentiâ immensitate; sic Deipara præstò adest univèrsis, & singulis, munifica sua gratia omnes recreans ac venustans quasi in omnibus spatiis, atque in rebus omnibus. Quo sensu Marianam gratiam immensam appellari reor à S. Epiph. ser. de laud. Deiparæ, & à S. Petro Dam. ser. de illius Assumpt. Imò verò etiam, quemadmodum cæli ab Angelis moventur, singuli à singulis, ut ita lux in hæc inferiora diffundatur, & administraretur perpetua temporum vicissitudo, sintque annuæ frugum, & animantium generationes; non ab similitudine ut per Marianum cælum, suam Deus munificam gratiam in omnes mundi nationes effundat, ut Mariæ auxilio & opibus à minimo omnes munerentur, elegit sibi, non ex Empyreo Angelos, sed è terra homines Angelorum æmulatores, quorum ministerio Marianum cælum circumageretur quò versus.

S. Thaumaturgus.

S. Chryl.

Geomet.

Immensa Mariæ gratia.

Ut mundus Mariana luce muneretur, ministerio indiget Jesuitarum.

1915 Hæc igitur spectat similitudo super capita

capita animalium Firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis (id est, venerandi, seu gloriosi, ut LXX. vertunt) & extensi super capita eorum desuper. Quasi cælum ipsum sole, luna, & stellis picturatum capitibus portarent suis Cherubini illi, ut dulce onus. Quàm aptè firmamento hoc Deipara portendatur, vidisti jam: Cherubinis verò viros Societatis nostræ designari opportunissimè, valde suspicor, dū purpureū Vatè sic canentem audio Pl. 67. v. 10. Animalia tua habitabunt in ea. Nam pro animalia subest Hebraicum Haiath, quod à multis collectivè sumitur, quia plurali verbo, habitabunt, jungitur. Significat propriè congregationè, cælum, ut Pagninus observat in suo Thesouro, & exemplis probat: alii ordinem vertunt, seu stationem militarem, vel castra, Hispanè compagna de soldados. Arias Montan. Societate legit, cui benè ex nostris applaudunt Alcazar in illum Palmū, & Velasquez in Ep. ad Phil. c. 29. Notat. g. efferuntque Societas tua, aut viri Societatis tuæ habitabunt in ea: nempe Societas Jesu, aut Jesuitæ viri Ecclesiastica Hierarchiæ Angeli sunt, mystica Ezechielis animalia, Cherubini sapientissimi (nam cum intuitu ad hoc locutum Davidem, indubium est) Jesu cætus, militaris statio, ac Dei castra potentissima, Ecclesiæ Christianæ adstantia pro ea tuenda, ac confirmanda; imò (ut lubens addo) pro portanda & spatianda Mariæ gloria, cui totu Cherubini illi addictissimi, & cui acceptos referunt triumphos omnes in Evangelica sua expeditione de Gentilitate, & impietate gloriosissimè reportatos. Unde Psalmus continenter subtextit: Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa (id est, exercitu magno) Rex virtutum dilecti, dilecti. Hebraicè, Reges virtutum federabuntur (id est, Ecclesiæ se mancipabunt, dilectissimi Jesu erunt) & speciei domus dividere spolia. S. Hieron. ex Hebr. pulchritudo domus dividere spolia; id est, ad B. V. pertinebit spolia dividere Regum, Regnorūque devictorum, spolia Gentium Dæmonibus erepta; speciem enim domus, seu Ecclesiæ pulchritudinem Deiparam esse in his Davidis verbis, multū ex interpretibus arbitrantur, sapientem Anobium sequuti, qui ad illud Pl. 46. 5. Elegit nobis hereditatem suam speciem Jacob, quam elegit, Mariam esse speciem ac decorem Christianæ Ecclesiæ, interpretatur. Et summo quidem jure; cum illam S. Aug. ser. de Ass. Formam Dei, & S. Hier. vel Sophron. potius Formam discipline Christi, id est, faciem, speciem, decorem, pulchritudinem appellent; quasi Ecclesiæ, & ipsa Christi disciplina, imò Deus ipse per Mariam pulchriores, venustiores, & speciosiores quodammodo appareant. Christi ergo Societas, seu Societas Jesu viri prædicantur à Psalte, habitaturi in Ecclesiâ, quasi Ezechielis animalia, quasi Cherubini currus magnifici, quasi portaturi Marianum firmamentum sole, luna & stellis speciosissimum; cui accepta referant spolia Gentium Dæmonibus erepta; Mariæ enim auxilio, manu, & sapientiâ adoriebantur illi præclara facinora, vincebant, ac detriumphabant hostes. Illi planè, ut venustior, ut speciosior gentilibus appareat Christi doctrina, imò Deus ipse quodammodo pulchrior, V. M. magnalia evulgabant; sic Mariam glorificando Soc. nostræ viri, alliciebant suaviter, ac fortiter, & quasi illi quodam inescabant populos, provincias, & regna, atque ad Christi fidem traduce-

Plal. 67. 10.

Alli Mariana gloria inveniunt, qui suos triumphos ei adscribunt. Psal. 76. 11.

Ecclesiæ pulchritudo Deipara.

bant. Vides, quàm aptè Ezechielis currum ad Jesuiticam Familiam revocemus, Mariæ exaltationi militarem, & Mariæ ipsam auxilio detriumphantem.

1916 Contemplare adhuc animalia illa, ut Cherubina melius animadvertas, quàm docto penicillo in eisdem depicta appareant Jesuiticæ Societatis dotes, & facinora; ut subinde colligas, quàm apta illa sit Mariæ gloria evulgandæ, & spatiandæ. Atque in primis sunt viri docti non pauci, neque ignobiles, qui existimant, illa quatuor animalia unum idemque animal fuisse, & hoc unum habuisse quatuor animalium speciem & faciem, hominis, leonis, bovis, & aquilæ. Ita R. Salomon apud Lyram, Pintus alios referens, quibus ad stipulantur nonnulli ex recentioribus, qui id probant ex capite decimo ejusdem Vatis, ubi totam capite primo visionem quasi recapitulans ait: Elevata sunt Cherubim, ipsum est animal, quod vidi juxta fluvium Chobar. Quid si autem, Cherubinos verè quatuor fuisse, & quatuor ab Ezechiele visos, unum tamen postea vidisse cæteris præstantiorem? Sic variè existimantes in concordiam vocantur, & mysterio datur locus. Nimirum, multos esse Societatis Jesu mysticos Cherubinos, unum tamen esse reliquis nobiliorem, Proparentem Ignatium totum flagrantem divini amoris igne, & per quem cæteri inflammati: Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Ubi S. Gregorius Homilia quinta rectissimè: Quia sancti viri quosdam juxta se positos, quasi tangendo, ad amorem patriæ cælestis accendunt, carbones sunt; quia verò quibusdam longè positos lucent, lampades sunt. Quod Ignatio præsertim nostro competit, cujus nomen ignem præ se fert, quo filios suos juxta se positos tangendo inflammant, & longè positos lucent. Ignatius enim idem omnino est atque ignis actio, seu ignem jacio. Ea propter perquam opportunus, ut esset novæ Jesu militiæ antesignanus, & quasi Pyrophorus, seu Pyrophorus, id est, ignifer, vel qui fert ignem, juxta prisicum militiæ morem, de quo Alexander ab Alexandro libro quinto; Genial. capite tertio. Prævaluit Græcorum mos, ut quoties præcinctæ acies congregari parant, ante prima signa staret vates laureos ferens ramos, & corollas, cui Pyrophoro dixere nomen, quoniam lampada præferret, quem violare summum habebatur nefas, quod legati munere funderentur. Quid Ignatio ignifero, signiferoque nostro, Deique legato opportunus? Et quid mirum, si ille inter reliquos Cherubinos signatim ostensus à Deo Ezechielis fuerit?

Ezec. 10.

Ignatius hominum Cheruborum princeps ignifer, sive Pyrophorus. Ezec. 1. 13. S. Gregor.

Alexan. ab Alexandro.

§. XIII.

Multi Cherubini, & unus Cherubinus propter concordiam Jesuitæ.

1917 Nisi id potius tibi ardeat, à Vate multos Cherubinos, unum Cherubinum appellari, propter singularem illorum concordiam, seu mentem unam, à qua ex multis unum fit. Quod solet in Sacris, & humanioribus litteris usurpari frequenter schema parocmiali. Judic. 20. 1. Pariter congregati quasi vir unus. 1. Reg. 11. vers. 7. Egredi si sunt quasi vir unus. Judith 1. vers. 11. Qui omnes